

## EPISTOLA. XI.

Vitalianus episcopus servus servorum Dei reverendiss. domino charissimo Beneventanæ Ecclesie episcopo, et in eodem venerabili episcopo in perpetuum.

Cum sicut apostolicæ dignitatis aperte in hoc divini profectus nitore dignoscatur præfulgere, et in exercendis Dei laudibus, seu impensius studeat laboris exhibere certamen, ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compulsi sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum locorum promulgari, et apostolicæ institutionis censura confirmari. Igitur quia postulasti a nobis quatenus reverendissima Beneventanensis Ecclesia, Deo favente, privilegiis reverendissimæ sedis apostolicæ decoraretur, idcirco piis tuis desideriis faventes, ac nostra auctoritate id quod exposcit effectus, mancipamus, concedentes tibi, tuæque præfatæ reverendissimæ Beneventanensi Ecclesie, id est Bibinum, Asculum, Larinum, et eccle. iam sancti Michaelis archangeli in Gargano, pariterque Sipontinam ecclesiam, quæ in magna inopia et paupertate esse videtur, et absque cultoribus et ecclesiasticis officiis nunc cernitur esse depravata, cum omnibus quidem eorum pertinentiis, et omnibus prædiis, cum ecclesiis, familiis utriusque sexus, et massis, totaque loca ditioni antiquæ possessa tuæ sanctimonie, successoribusque tuis concedimus hæc omnia dominanda et possidenda, atque canonice disponenda, cum omnibus suis ubique pertinentiis, sive sint in præfatis civitatibus, sive in quibuscunque castris consistentia, siquidem insuper apostolica censura sub divini iudicii obstantibus, et validis, atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam succes-

orum vestrorum, vel alicujus dignitatis potestate præditus reverendissimæ Beneventanæ Eccl. aliquam vim facere, vel in cunctis jam supradictis ecclesiis, vel de iis, quæ pertinere videntur, quoquo modo auferre, aut alienare, vel ejus minuere terminos, et nec quamlibet malitiam, aut jacturæ molestiam in easdem inferre quocunque tempore, nec licentia sit, ut dictum est, ex earum pertinentiis aliquam magnæ parvæque personæ auferre; sed omnia superius taxata sub potestate et dispositione Beneventani episcopatus perpetuo consistent, ut profecto juxta id quod a nobis statutum est eadem venerabilis reverendissima Beneventanensis ecclesia apostolicis constitutionibus, aut privilegiis consistens, ornata, inconvulsa dotata permaneat. Si quis autem (quod non optatur) nefario ausu præsumperit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate dictæ Ecclesie Beneventanæ statuta sunt refragare, aut in quoquam transgredi, sciat anathematis vinculo innodatum esse, et cum Juda Domini traditore, et cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum; at vero qui pio intuitu observator, et in omnibus extiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam a misericordiosissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manum Adriani strimarii reverendissimæ Romanæ Ecclesie in mense Februario, indict. 11. Bene valete.

Datum 11 Kal. Febr. per manum Anastasii primicerii, defensoris reverendissimæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus dom. Vitaliani summi pontificis, et universalis papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli, primo, indict. 11.

ANNO DOMINI DCLXX.

# JONAS

## ABBAS ELNONENSIS.

### NOTITIA HISTORICA.

(Ex Fabricio, Biblioth. mediæ et infimæ Latinitatis.)

Jonas, abbas, sancti Columbani et discipulorum ejus D Attalæ et Eustasii discipulus, idem qui Hibernus ab aliis, vel Scotus, Italusve, aut Bobiensis, Lirinensis vel Luxoviensis appellatur, clarus circa an. 664. Scripsit:

Vitam sancti Columbani, quæ interpolata apud Surium 21 Novembr.; sincerior tom. III Opp. Bedæ, pag. 199, et in Vincentii Barralis Chronologia sanctorum Lirinensium, pag. 83; emendatior denique in Mabillonii sæc. II Bened., pag. 5; Gallice quoque in Arnaldi Andillii Vitæ sanctor., pag. 296.

Vitam sancti Attalæ abbatis, quæ itidem edita inter Bedæ Opera, tom. 3, pag. 222, et apud Surium 10 Martii, Barralimque, pag. 97, et in Actis sanctorum, tom. II Martii, pag. 43, sincerior ex quatuor ms. et apud Mabillonium sæc. II Bened., pag. 100.

Vitam sancti Eustasii abbatis Luxoviensis an. 627 defuncti ex ipsiusmet Itinerario, itidem inter Bedæ Opera, tom. III, pag. 243, et apud Surium, 29 Mart., Mabillonium sæc. II Bened., pag. 115, et in Actis sanctorum, tom. III Martii, pag. 786, cum Henschenii notis.

Vitam Bertulphi abbatis obviam apud Surium 19 August., Mabillonium sæc. II Bened., pag. 160, et inter Bedæ opera, tom. III, pag. 248.

Vitam sanctæ Faxæ, sive Burgundofaræ, abbatis primæ Eboriacensis in diocesi Gallie Meldensi, defunctæ anno 657. Exstat apud Surium 5 April. et inter Bedæ Opera, tom. III, pag. 258, et in Mabillonii sæc. II Bened., pag. 459.

Libros II de Vita et miraculis sancti Joannis abbatis Reomaensis ad Hunnam abbatem fratresque

Reomaenses : priore libro Vitam ab antiquiore monacho Reomaensi scriptam et apud Mabillonium obviam interpolavit ; posterior de miraculis exstat in laudati Mabillonii sæc. I Bened., pag. 657. Utrumque eum notis edidit Petrus Roverius in historia monasterii et abbatum Reomaensium ab anno 425 ad sua usque tempora, Paris., 1657, 4°. Adde Caroli Gointii Annales Francorum, tom. I, pag. 121 seq., 234, 235, 310 seq., et tom. III, pag. 461 seq.

## VITA S. COLUMBANI ABBATIS, AUCTORE JONA

MONACHO BOBIENSI FERE ÆQUALI,

*Collata cum diversis Codicibus mss.*

(Ex Mabill., Acta SS. ord. S. Benedicti.)

### PROLOGUS AUCTORIS.

AD BOBOLENUM ET WALDEBERTUM ABBATES.

1. Dominis eximii et sacri cu'minis regimine decoratis religionisque copia fultis Boboleno et Waldeberto Patribus Jo asperator.

Memini me ante hoc ferme triennium fratrum conviventia flagitante, vel B. Bertulfi abbatis imperio jubente cum apud eos Apenniniis ruribus vacans in Ebobliensi<sup>a</sup> cœnobio morarer fuisse pollicitum, ut almi Patris Columbani meo studerem stylo texere gesta; præsertim cum hi qui eo fuerunt in tempore, et penes ipsum patrata viderunt, quam plurimi penes vos superstites sint, qui nobis non audita sed visa narrent, vel quæ etiam nos per venerabiles viros Attalam et Eustasium didicimus: quorum primus Ebobliensis, secundus Luxoviensis cœnobii, quo vos præules existitis<sup>b</sup>, ejus successores fuerunt, qui magistri instituta suis<sup>c</sup> plebibus servanda tradiderunt. Quorum vitam utcumque quivimus in postmodum deprompsimus, seu plurimorum quos clientia memorabiles reddidit.

2. Sed quæ prædictorum fratrum agapis vel Patris prædicti præcepto conjiciens rebar liquido exuberari, multum me ego ad hoc opus impari reperio. Si enim me in hoc opere nequaquam indignum judicassem, olim jam ad ea texenda temerario

<sup>a</sup> Ita scribunt antiqui Codd. mss., pro quo libri editi præferunt Bobiense. Est autem Bobium monasterium, multorum cœnobiorum caput, positum in Alpibus Cottis provincia Italiae ad amiculum cognominem, non longe a flumine Trebia et Ajenni, abestque ab urbe Ticino millia passuum XI, quo in loco accrevit oppidum episcopali sede a Benedicto VIII illustratum: monasterium vero congregationi Cassinensi, alias S. Justinae, unitum est. Lege Italiae Sacr. tomum IV, ubi de episc. Bobiensibus.

<sup>b</sup> Nempe Boboleno post Bertulfum Attalæ successorem Bobio, Vualdebertus post Eustasium Colum-

B quamvis conatu aggressus fuisset. Quamquam me et per triennium Oceani per ora velat et acabra lintris adacta, has quoque scatenas molles sectando vias madefacit sæpe et lenta palus Elnonis plantas ob venerabilis Amandi pontificis ferendum suffragium, qui his constitutus in locis veteres Sicamborum errores evangelico mucrone coerces. Erit tamen commisi operis, venerandi Patres, vestri arbitrii cultus, ut si aliqua minus rito prompta decore facunditatis caruerint, vestris phaleramentis decorantur, ut legentibus apta fiant, ne dum meam imperitiam in eloquio exhorrent, cum dictis facta non exarquentur, sanctorum virtutes fastidiose ferendo non imitentur: et cum ad paratum opus ozentes manum tetenderint, mox sentium asperitate crustatam nitantur subtrahere. Quibus dicendum est nantes solere post ima gurgitem fractis viribus ripæ relditos, cum alia defuerint subsidia, festino commine sentes apprehendere; et divitum fauces cum aliis dapes redundant, sæpe agrestia desiderare: et pleosque musicorum omnium, organi scilicet, psalterii, cytharæ melos aures oppletas, mollis aspe avenæ modulamini auditum accommodare.

3. Et si me quempiam laudare repererint qui adhuc<sup>d</sup> superis junctus sit, non me adulatorem putent, sed rei bene gestæ dissertorem; nec favere tuihani successorem Luxovio præerant. Eorum acta consule.

<sup>a</sup> Id est discipulis, quo nomine Jonas non raro monachorum multitudinem appellat.

<sup>d</sup> Eadem dictione Jonas utitur infra num. 18 et in Vita S. Eustasii, num. 1, necnon in Vita S. Burgundofaræ, cap. 2. Retinenda proinde est, nec ullatenus mutanda, ut nonnullis videtur. Superes Jonas intelligit superstites homines seu vivos, qui comparatione eorum qui jacent in tumulis asperi appellari possunt. Unde idem auctor in Vita S. Burgundofaræ, cap. 9, de Lendebergæ obitu agens, « Superas, inquit, liquefacti auras, ad æterna gaudia est protracta. »